

Ulmenses ac plebem imprimis imperitam non leviter concussit. Describit, quæ tum Natura spectanda exhibuit, *Davidus Algower*, verbi divini apud Ulmenses Minister, Vir Mathematicum & rerum naturalium haud ignarus, observationibus Meteorologicis præprimis hyetometricis clarus in appendice ad Specimen Hyetometriæ curiosæ, quod circa finem anni superioris publici juris fecit pag. 33. Sol nimirum cœlo prorsus sereno, nullisque super horizonte nubeculis conspicuis, per integras duas horas omnibus radiis destitutus comparuit, qualis esse solet lunæ noctu pleno lumine splendentis facies. Monet observator clarissimus, eandem tunc temporis visam solis faciem, qualis autumnali præsertim tempore per nebulas transparentis repræsentatur. Notat præterea, die quarta Junii exorsam esse pluviam binis diebus sequentibus cœlo constanter ruentem (\*).

§. 3.

(\*) Idem phænomenon in Gallia etiam observatum fuisse, nunc quidem constat, ex quo Historia Academiae Regiæ Scientiarum Anni 1721. Parisiis Anno 1723. in lucem prodit. Ita enim Collectores Actorum Eruditorum A. 1725 p. 108. ex eadem: Die 1. Junii seu ipso die Pentecostes Sol instar Lunæ absque radiis visus Parisiis & in locis vicinis aëre licet sereno. De MAIRAN observavit, colorem cœli fuisse obscurum, qualis nocte serena observatur. Quidam mane solem viderant obscuratum, ita ut eclipsin pati ipsis videretur. Obscuritas ejus dici similis ipsi apparuit cum ea quam d. 12 Maji 1706. in Eclipsi Solis totali notavit. CASSINUS idem phænomenon